N°. 105

Forma

POLITIAE ECclesiasticæ, nuper institutæ Londini in cœtu Gallorum: Nicolao Gallasio authore.

Excussum Londini in officinæ Ioannis Daij Typographi.
Anno. 1561.

EXIMIO CRISTI SERVO, & reuerendo patri. D. Edmundo Grindallo, episcopo Londinensi

Nicolaus Gallasius
S. P. D.

Vum te authore ac impulsore (ornatissime presul) hæc instituta scripserim, quibus ecclesiola nostra formaretur, eadē certé sub tuo nomine, auspicijsq; tuis in medium prodire æquum fuit. Addo etiam quòd peregrinorum qui isthic collecti sunt: quia non minus tibi quàm indigenarum cura incumbit, quidquid ad cœtus nostri statum pertinet, id ad te, præsertim grauibus in causis, referendum est. Hoc autem omnium, grauissimum esse mihi videtur, vt quæ semel in ecclesia bene instituta fuerint quanta fieri potest cura & diligentia seruētur. Quod certé vix efficeret opera & industria nostra, nisi etiam authoritas tua intercederet, qua contumaces & præfractos homines reprimere cæterosq; omnes in officio continere possemus. Nam etsi maxima pars sponte sese submittit verbo Dei, nunquam tamē desunt qui omnem disciplinę neruum abrumpere, ac veluti fractis repagulis exilire, & suo arbitratu viuere, omnēq; licentiam captare vellent. Iis quoniam exhortationes aut scriptæ quædā normæ non sufficiunt, viuis legibus opus est, quibus ipsorum

libido & amentia dometur. Preclarè sane iam olim a philosophis dictum est parum posse magistratum sine lege, aut legē sine magistratu: atque hæc duo sic inter se perpetuò in omni republica coniungenda esse, vt alterum altero niti ac fulciri possit. Lex enim mutus est magistratus: magistratum vero sic legi animam & vitam adferre decet, vt ipsemet lex viua meritó nominetur. Idem nobis omuino in politia ecclesiastica vsu venit: in qua parum proderunt vel optimæ leges, nisi plebs ad eas obseruandas pastorum & episcoporum opera vrgeatur. Itaq; inanes essent hæ constitutiones, nisi eas animare viuasque efficere omni conatu ego & collegæ mei studeremus. Atque etiam plerunque frustra conaremur, nisi adesses ipse, vitamque integrā ijs authoritate tua præstares. Quod quū sponte facias, vt idem facere pergas, nosque vti cœpisti præsidio tuo munias, non est quod te maiorem in modum rogemus. Satis erim vltro incitatus es, nec multis verbis opus est apud te qui nulla in re vnquam ecclesijs nostris defuisti: nec vllum recusasti laborem quoties vel ad retundendam malorum peruicaciam vel ad subleuandos inopes vel purgandos errores quos nōnulli spargebāt, vel ad reprimendos sectarios homines eo nobis opus fuit, vt ergo te nobis quam diutissime incolumē ecclesiæ suæ Dominus conseruet vnicé optamus, summisq; votis a Deo petimus, vt que in te pietatis, doctrinæ verique zeli dona contulit, ea te tueatur, atque in dies augeat, quo magis ac magis eius gloriam, cuius ardes studio, promouere possis. Vale.

INDEX.

QVatuor ordines præcipui in ecclsia. Fo.1.
De Pastoribus & eorum electione. 2.3.4.
Quibus de causis ministri ecclesiæ destituēdi. 5.
Quib⁹ item de causis monendi solum aut corrigendi. 5.
De numero & tempore concionum. 6.
De exercitatione prophetica. 7.
De officio doctorū & ludimagistrorum. 8.
De senioribus eorumque electione & officio 9.10.
Quomodo pastores & seniores se gerere debeāt erga eos qui ecclesiæ nomen dederunt. 11.12.
De diaconis & eorum officio. 13.14.
De Baptismo. 15.
De cœna Domini. 16.
De ordine obseruādo erga pueros antequā ad cœnam domini admittantur. 17.
De matrimonio. 18.
De visitandis ægrotis. 19.
De sepultura. 19.
Formulæ promissionum quib⁹ pastores, seniores & diaconi ecclesiæ adstringunt. 20,21.

Finis.

PRÆFATIO.

QVum in ecclesia præter administrationẽ verbi aliqua etiam politia necessaria sit, non solum vt seruetur puritas doctrinæ, sed etiam vt populus ad eam sequendam & obseruãdam instigetur, aut veluti manu ducatur, præscribẽda est regula ex verbo Dei, quæ in posterum cuiq; pro ratione officii sui obseruanda erit. Nam alii instituendi vt pueri, adolescentes, aliiq; rudes. Alii in officio cõtinendi ac mouendi. Alii corrigendi. Alii aut ope, aut consilio aut cõsolatione iuuandi sunt. Quæ omnia ad politiam ecclesiasticam pertinent, eaque diligenter obseruata, diutius ipsam seruare atque augere possunt.

¶ *Quatuor ordines præcipui in Ecclesia.*

SEd quum hæc soli ministri præstare non possint, videndum est qui & quales adiungi ipsis debeant, qui ipsorum ductu omnia hæc obire possunt. Quatuor autem genera functionum a Christo & Apostolis instituta scriptura docet, quibus certe nunq; Ecclesia bene instituta carere potest. Primum genus est pastorum, qui etiam ministri & episcopi vocãtur. Alterum doctorum. Tertium seniorum. Quartum diaconorum. A pastoribus ergo siue ministris initiũ nobis faciendum est: quia cæteris præire ac velut omnium antesignani esse debent. Ad eos pertinet prædicatio verbi: ex cuius doctrina debent tum publicè tũ priuatim admonere, hortari, consolari, increpare, arguere, & conuincere, administrare sacramenta, & fraternis correctionibus vti vna cum reliquis seniorib⁹ qui ipsis adiunguntur.

Ephe.4. Rom.12. 1.Cor.12. 1.Tim.3.

1 Vt quis hoc munus exerceat sese ingerere non debet nec quisquam admittendus est, nisi qui legitime sit vocatus.

2 Priusquam ergo ad hoc munus quispiam admittatur, tria obseruanda erunt. Primum vt non solum vera doctrina imbutus atque institutus sit, sed etiam aptus ad eam tradendam, explicandam, atque accommodandam in vsum & edificationem Ecclesiæ, quod
1. Timo. 3. Paulus vno verbo διδακτικὸν vocat. Deinde, vt bonis moribus præditus sit, omniq; vitii nota careat. Tertio, vt recipiatur ac probetur tum a reliquis ministris & senioribus, tum etiam a toto populo aut maiore eius parte.

3 Vt ministri electio fiat, tenendus est ordo quem vetus Ecclesia obseruauit. Nempe, vt primum ministri & seniores ipsum eligant. Quum vero in pusillo huius ecclesiæ statu pauci sunt ministri, is qui supererit accersat ministros & seniores ecclesiæ Belgicæ vt eorum consilio vtatur, atque ita cõmunibus vtriusq; collegii suffragiis matura deliberatione facta minister eligatur.

4 Electus nominetur populo vt si quis aduersus ipsum quidquam habeat, id significet ministro, ac senioribus. Nominetur præterea Episcopo nostro, nequid absque ipsius iudicio & approbatione fiat.

5 Si is qui delectus est, iam antea ministerio fũctus sit in aliis ecclesiis testimonium ab ea afferat e qua postremo profectus est, vt tum doctrinæ tum vitæ suæ fidem faciat. Idque omnino necessarium est, nequa nota ipsius ministerium & libertatem in eo exercẽdo impediat. Ac nihilominus consensus & approbatio seniorum & populi & Episcopi confirmatio accedat.

6 Si nunquã functus est ministerio, eligendus erit ea tantum lege vt audiatur & examinetur: atq; eadem lege & conditione populo nominandus erit.

Vt

7 Vt doctrinæ ſuæ fidem faciat non ſolum teſtetur ſe eam doctrinam probare quæ in eccleſia noſtra acceptaeſt, ſed etiam de eius articulis ſaltem præcipuis magiſque neceſſariis interrogetur a miniſtro huius eccleſiæ cui aderunt miniſtri Belgici, ſeniores, atq; etiã alii, ſi res poſtulet, qui ſunt doctores in eccleſia.

8 Quibus examinatus fuerit ac probatus, iterũ ſpecimẽ ædat exhortationis aut cõtionis ex loco ſcripturæ qui ei propoſitus fuerit corã miniſtris & ſeniorib⁹ vtriuſque eccleſiæ quibus ſaltem gallica lingua nota erit, atque etiam aliis quibuſdam doctoribus eccleſiæ qui aduocari poterunt vt inde iudicium fiat an in poſterum idoneus ad docendum ſit futurus.

9 Quod ad vitam attinet, non ſolum a domeſticis, ſed etiam ab exteris teſtimonium habeat: ac regulam a Paulo præſcriptam ſequamur.

10 Tertium eſt, vt producatur ad populum atq; ſtabiliatur. Quod vt fiat, prius ipſum publicam concionẽ habere oportet, idque dominico die, quo maior adſit multitudo.

11 Poſt concionem alter e miniſtris populũ adhortetur ad preces & ieiunium, eorumque diem indicat atque admoneat vt ſi quis aduerſus electum quidpiam obiicere velit, intra octauum diem ad collegium ſeniorum accedat, atque rationes ſuas proponat.

12 Si nulla fiat interceſſio qui electus eſt populo offeratur præfixo die, habita concione ab altero miniſtro, atque ibidem, habitis precibus, vti moris eſt, ab epiſcopo confirmetur.

13 Sed prius eo ipſo tempore recitetur ei ex ſcripto promiſsio ad eius functionem pertinens cuius exemplar poſtea ſubiicietur, eique, aut ſublata manu aut ſaltem verbis & vultu annuat.

14 Si qua interceſſio fiat eius cognitio ſit penes miniſtros & ſeniores vtriuſque eccleſiæ peregrinorum, a

quibus electio facta est vt iudicent an admittenda sit necne: ac si quid fundamenti aut coloris habeat, res ad episcopum referatur.

15 Quidquid autem ab iis pronunciatum de intercessionum causis fuerit adhibita episcopi authoritate, ratum ac firmum sit: ac quidquid actum fuerit populo declaretur

16 Si is qui electus est minister indignus repertus sit ac demonstratus legitimis probationibus, alius a senioribus & ministris eligatur.

¶ *Hactenus de ijs quæ in electione & confirmatione ministrorum necessario obseruari debent, nunc de ijs agendum quibus in officio contineri possint.*

PRimum vt iam antehac moris fuit vtriusque ecclesiæ ministros & seniores vna colligi initio cuiusq; mensis primo videlicet die lunæ, id etiam in posterũ obseruetur, vt mutuis consilis & monitionib⁹ vtriq; ecclesiæ prouideatur, aliique alios admoneant de reb⁹ omnibus quæ ad earum vtilitatem & conseruationem pertinebunt.

Quod si oborta fuerit vlla dissensio aut difficultas in doctrina vel disciplina quæ ab altera ecclesia dirimi aut expediri non potuerit, coniunctis vtriusque sententiis & iudiciis definiatur.

Fiant deinde tertio quoque mense censuræ inter ministros & seniores, hoc est fraternæ & amicæ admonitiones quales ipsa res postulabit, vt vniuscuiusq; vitæ & moribus prospiciatur. Sic enim vitari poterunt scandala & ministerii authoritas conseruari. Cauendum enim ne ob malã pastorum famam quũ ipsi despecti fuerint, verbũ quoq; ipsum contemptui habeatur. Vt autem admonẽdus & corrigendus erit is qui lapsus fuerit, ita reprimendæ calũniæ & falsæ criminationes quibus insontes homines immerito traduci possent.

Hic

HIC NOTANDA SVNT CRIMINA
quæ in ministro nullo modo tollerari possunt.

Hæresis.
Schisma.
Rebellio aduersus ordinẽ ecclesiasticum.
Blasphemia aperta & legibus punienda.
Simonia & donorũ corruptela.
Ambitus ad noua munia obtinenda aut occupãdum alterius locum.
Crimen falsi.
Periurium.
Adulterium vel scortatio aut solicitatio alienarũ nupriarum, vel etiam puellarum.
Furtum.
Ebrietas.
Pugna aut digladiatio quæ legibus punitur.
Vsura.
Ludi legib⁹ prohibiti ex quibus scandala oriũtur.
Saltationes & lasciuiæ.
Crimen quod notatur infamia.
Denique omnia crimina ob quæ alius quispiam ab ecclesia separandus esset.

Sunt autem vitia quædam aut delicta quæ nonnihil tollerari possunt modo fraterna eorum correctio fiat.

Noua quædam & inusitata ratio tractandæ scripturæ.
Curiosa inanium quæstionum indagatio.
Doctrinam non receptã in ecclesia aut nouum quendã morem introducere.
Negligentia in studiis ac præsertim in legendis libris sacræ scripturæ.
Negligentia in vitiis reprehendèdis quæ adulationi proxima est.
Scurrilitas.
Mendacium.
Maledicẽtia & detractio.
Spurcus sermo.
Conuitia & iniuriæ.
Temeritas.
Vafrities & praua astutia
Auaritia & tenacitas.
Ira & excandescentia.
Lites & iurgia.
Habitus, vestitus, gestus dissolutus, aut parum decus, ac eiusmodi.

Si minister in grauiora illa crimina inciderit quæ puniuntur legibus nulloque modo tolerari debent, ministri ac seniores vtriusque ecclesiæ illum ministerio indignum iudicent, & causa ad episcopum relata ipsũ destituant.

Si vero in ea crimina sit lapsus quorum prima inquisitio & notio ad consistorium ecclesiasticum pertinet, ministri & seniores rem diligenaer examinent vt si reus fuerit minister ad episcopum cum elogio mittat. In minoribus vero delictis teneatur is ordo quem præscribit Christus Matt. 18. nec quisquam ad iudiciũ ecclesiasticum præterquam ad extremum, confugiat.

¶ *De numero & tempore concionum.*

CErtos dies certasque horas concionibus præfigi & assignari necesse est, vt sciat populus quando & quamobrem conuenire debeat. Hora ergo nona ante meridiem vt solet die dominico matutinæ concioni, secunda vero post meridiem alteri assignetur.

Quum vero Catechismus præ cæteris in ecclesia necessarius sit, non solum puerorum sed rudium causa, aptum & cõmodum ei tempus constitui decet. Prima igitur hora post meridiem eodem die dominico inter duas conciones ei poterit assignari.

Cæteris dieb⁹ matutina concio maturius hoc est hora octaua auspicanda erit. Sed quoniam plæbs è semotis & longe distantibus vrbis partibus non statim aggregari potest, ne ii qui citius accesserunt tempus illic frustra terant, aut de rebus inanibus inter se nugẽtur, vnus e senioribus aut diaconis aliquid leget è sacris literis ante concionẽ, vsque dum pastor eam incipiat, idq; præsertim diebus dominicis & Iouis, atque eum librum qui cœptus fuerit, iidem lectores deinceps suo ordine persequentur.

Qui antea constitutus est precibus dies, Iouis scilicet

licet idem obſeruetur ſedulo, vt populus ad inuocandum Deum pro neceſsitatibus publicis & priuatis incitetur: induto etiam ieiunio quoties neceſsitas poſtulabit.

¶ De exercitatione prophetica.

CErtum quoque diem explicandæ ſcripturæ, quam propheticam exercitationem vocant, conſtitui oportet. Mihi vero apti fore vidētur ſolempnes ij dies in quibus hic populus ſæpius in anno feriatur. Ceteris enim diebus tum propter occupationes tum propter amplitudinem vrbis non ita facile eſt mane cōuenire. Solemnibus ergo illis diebus conuenient miniſtri & ſeniores hora ſecunda a prandio in eccleſia, ac quiſque ordine ſuo viciſsim locum eius libri qui propoſitus fuerit, exponet: non vt in concionibus, quæ habentur ad populum, ſed velut in prælectionibus in quib⁹ ſtudēdum eſt, vt genuinus eruatur ſcripturæ ſenſus, atq3 ipſius vſus declaretur.

Ad hanc exercitationem, hoc eſt, ad explicandum ſuo ordine locū ſcripturæ admittatur nemo, niſi qui miniſtri & ſeniorum iudicio idoneus cenſebitur, atq3 in catalogum redigetur. Liberum tamen ſit aliis aut addere iis quæ dicta fuerint, ſi quid dederit Dñus, aut queſtionem proponere quæ ad rem faciat, modoue euagari aut longius digredi cuiquam permittatur. Vbi concluſum ac definitum fuerit, nemo quidquam addat aut inquirat, ne diſputationis ſpecies oriatur. Re peracta poſtquā diſceſſerit populus admoneatur prophetans fraterné & amicé ſi qua in re lapſus eſt.

Secundum ordinem doctorum eſſe diximus. Eorū porro officium eſt veram & ſanam doctrinam tueri, docere, explicare, ac modis omnibus precauere ne aut ignorantia aut errore, aut prauis opinionibus corrūpatur, atque is gradus miniſterio propior, & regimini

ecclesiæ coniunctior est, præsertim eorum qui versãtur in theologia. Sed quum exigua sit hæc ecclesia, & maiore ex parte constet illiteratis hominibus, quibus conciones & catechismi abunde satisfacinnt, de iis tractare superuacaneum est. Quod si cresceret ecclesia, ac numerus quispiam auditorum ad eam lectionem paratus esset qui in posterum prodessent ecclesiæ Dei, vt dabitur facultas ita ea vtendum erit. Huic ordini annumerantur ludimagistri ac preceptores qui tum in linguis tum sciẽtiis pueros & adolescentes instituũt, quorum opera iis qui maiora assequi volũt perneccssaria est. Eorum officium quum sit imbuere pueros vera religione, & rudimenta christianæ fidei tradere, nemo ad hanc functionem admitti debet qui vita & doctrina probatus non sit, certumque testimonium proferat ministris & senioribus, qui deinde ipsam episcopo offerant. Vbi probati fuerint ac recepti communicent cum ministris de libris quos discipulis suis exposituri sũt, & de ordine & methodo quem sequuturi sunt in docendo atque vtantur eorũ consilio, quo facilius pueros promouere possint, nec quicq̃ suscipiant suo ipsorũ arbitratu. Singulis diebus dominicis discipulos suos iam antea instructos & paratos ad responsionem, adducant in templum, vt de catechismi loco & sua fide interrogati ministro respondeant. Sedeant autem discipuli e regione cathedræ in preceptorum conspectu: vt modeste se gerant ac discedẽtes abstineant a strepitu & murmure, atque a preceptoribus ipsis vel pedagogis reducantur.

¶ *De senioribus, quos tertij ordinis esse diximus.*

HI totius gregis atque singulorum statum obseruare debent, eosque amicé & benenolé mouere & hortari quos aut aberrare aut delinquere, aut dissolutioris vitæ esse perspexerint, atque etiam vbi

aes

res poſtulabit ad collegium ſiue conſiſtorium referre, vbi correctionibus fraternis ex communi omniū ſententia vtentur. Deligendi ergo ſunt ad hoc munus viri probæ & honeſtæ vitæ, qui omni crimine atq; etiam criminis ſuſpicione vacent, timentes Deum & ſpirituali prudentia præditi. Ex ſingulis autem vrbis partibus, ſi fieri poteſt deligantur, quo diligētior gregis obſeruatio fiat. Sed antea omnia curandum eſt vt prudentes ſint & ſtudioſi religionis.

¶ *Forma electionis.*

FOrmam electionis eandē ferè ſequemur quæ hactenus obſeruata fuit, vt vitemus murmura, & omniū ora obſtruamus. Omnes igitur qui iam antea eccleſiæ nomen dederunt accedant ordine ad eorum menſam qui ſuffragia deſcribunt, atque ab iis primum nomen ſuum, deinde eorum quos ſincero animi iudicio puraque conſcientia magis idoneos cenſent, nomina deſcribenda curent. Tertio ſcriptum illud ad ſuperiorem menſam deferant ad eos qui numerant ſuffragia, & ſingulorum ſcripta condunt aut eodem filo connectunt: ac notatis ſuffragiis modeſtē alia via recedant. Atque hoc quidem in preſens, in poſterum vero bene conſtitutis rebus aut ſaltem rite inchoatis quid magis expediat proſpiciendum erit. An vero perpetui an temporarii futuri ſint poſtea videndū, & quod magis ex vſu eccleſiæ futurum eſt ſtatuendum erit. Si enim poſthac magis idonei acceſſerint, eccleſia ipſorum opera & miniſterio priuenda non eſt. Rurſū perturbationibus & moleſtiis occurrendum erit quæ in eiuſmodi mutationibus ſæpe accidūt & ſane expedit eos abſque graui cauſa non mutari, ac retineri quū fideliter officio functi erunt. Quod tamen eccleſiæ liberum faciemus, quæ in ea re paſtorum & miniſtrorū conſilium ſequutura eſt.

¶ *Postquam seniores electi & confirmati fuerint, hæ constitutiones quæ ad ipsorum munus pertinent, ipsis præsentibus palam in tota ecclesia recitentur.*

PArtiantur seniores munia sua per decurias quam commodissime fieri poterit, ac singuli descripta habeant eorum nomina qui ipsorum curæ commissi fuerint, quo quisque suos diligentius obseruare, ac facilius munere suo defungi possit.

2 Quum noui hospites Galli huc appulerunt quisq; seniorum in sua decuria de iis inquirat ac de cæteris quos secum ducunt, & causam eorum aduẽtus exploret diligenter. Qua animaduersa pastorem admoneat, vt ipse officio suo fungatur.

3 Quod si religionis causa aduenerit hospes, pastor cum senioribus testimonium si quod attulerit perlegat atque obseruet. Si vero ob persequutionem aut aliud impedimentum præ nimia festinatione nullum testimoniũ adferre potuerit, interrogetur de fide sua & vitæ eius ratio obseruetur.

4 Si non religionis sed alius negotii causa aduenerit, aut religionem præexens errorem aliquem aut prauam opinionem tueatur a qua recedere nolit ad episcopum deferatur.

5 Quod attinet ad Gallos qui iam antea isthic habitarunt priusquam euangelii libertas data esset, neque nomen suum ecclesiæ Gallicæ dederunt: obseruent seniores an Anglicam ecclesiam frequentent, atque etiã an Anglorum linguam intelligant: vt si neutri ecclesiæ adhæreãt, aut simulent se alterutram frequentare, quũ ab vtraque alieni sint, neque fidei doctrinam teneant, deferãtur ad episcopum qui eos de fide sua interroget, atque intelligat quid habeãt religionis. Idque sedulo obseruandum erit ne sectis aut impiis hominibus impleatur hoc regnum, aut saltẽ natio nostra eiusmodi labe ac fece purgetur.

Quomodo

¶ Quomodo pastores ac seniores se gerere debeant erga omnes qui ecclesiæ nomen dederunt.

IN corrigendis cuiusque uitiis aut delictis ordotenendus erit quem præscripsit Christus. Matt. 18. Nempe, vt seorsim ac secreto reprehendãtur ea quæ sunt occulta: nec quisquam proximum ad ecclesiam adducat, vt eum delicti & facinoris alicuius nondum noti aut diuulgati, ex quo nullum prodierit scandalũ, palam accuset: modo is exhortationi ac reprehensioni non sit reluctatus, nec se peruicacem præbuerit.

7 Qui priuatas reprehensiones reiecerint aut deriserint, rursum ab ecclesia moneantur. Quod si nullomodo culpam agnoscere velint, licet conuicti, arceant a cœna domini, donec ad meliorem mentem redeant.

8 Publica autem & manifesta vitia quæ dissimulari non possunt, si admonitionem solummodo requirant coram ecclesia, hoc est, in seniorum cœtu amicè & beneuolè reprehendantur, vt se emendent qui iis dediti fuerint. Qui resipuerint nulla amplius molestia afficiantur.

9 Qui scelus aut flagitium admiserit quod grauiorem castigationem requirit, in eum vti res postulabit animaduertendum: eique denunciandum vti a cœna abstineat ad tempus, vt humilietur coram Deo, culpamq; suam agnoscat atq; expendat.

10 Quod si contumacia aut rebellione ad sacramẽtum cœnæ contra prohibitionem se ingerat, arceatur a ministro, cùm ei ad communionem accedere non liceat. Quod si forte minister eum non animaduertat imprudentia, aut obliuione pretereat, seniorum officiũ erit ipsum admonere.

11 Qui obstinata animi peruicacia sese obdurabunt, nec fraternas correctiones admittent, denũcientur ecclesiæ tanquam deplorati homines, quibus extrema quæq; remedia adhibenda sunt: vt pudore affecti ad

pœnitentiâ reducantur, atque humiliores reddantur. Denique publicè arceantur a communione & sacris, donec serio perculsi peccatum suum fateantur, ac tunc etiam publicè reconcilientur toti ecclesiæ atque admittantur.

12 Item qui veram fidei confessionem obiurarint, aut qui post cœnæ perceptionem sese polluerint sacrilegio missæ, aut nefandis aliis superstitionibus papistarum, non prius admittantur quam pœnitentiam egerint, ac publicè sese ecclesiæ conciliarint.

13 His tamen omnibus adhibeatur tanta moderatio vt nemo se inhumanius aut immitius tractatũ merito queri possit. Danda enim opera vt correctiones veræ sint medicinæ quib⁹ peccatores ad Christum reducantur.

14 Sic autem gerantur hæc omnia vt neq3 ministri neque seniores ciuilem iurisdictionem vllomodo vsurpent: sed gladio verbi solummodo vtantur.

15 Nemo pastorum aut seniorum cuiquam detegat ea quæ in consistorio acta fuerint, nisi a cœtu reiici & periurus haberi velit.

16 Vt hæc obseruentur & subsistat aliqua disciplina in ecclesia Dei, pastores vna cum senioribus semel in hebdomada certo die collecti tractent de communibus negotiis, & eos qui monendi erunt ad se accersant.

17 Quod si obedire quispiam iis recuset dum funguntur officio deferatur ad episcopũ vt eum coerceat. Rogandus autem erit episcopus vt coercitos rebelles ad consistorium remittat, vt rursum ordine ecclesiastico cum ipsis agatur.

18 Si qua in re dissentiant seniores, accersant diaconos, eorumque sententiam audiant. Quod si ab iis non satisfiat, consulant ministros & seniores ecclesiæ

Belgicæ,

Belgicæ, vt ex communi vtriusque ecclesiæ iudicio res expediri possit.

Vbi hæc lecta fuerint senioribus promissio quale obligant Deo ac ecclesiæ palam ipsis recitabitur cui annuere debebunt. Eius exemplar postea subiicietur in fine libri.

Vt contineantur in officio seniores eidem disciplinæ cui pastores obnoxii sint, atque iisdem de causis destituantur.

¶ *Quartus ordo, quem Diaconorum esse diximus.*

IN veteri ecclesia diaconorum genera duo fuerint. Vnum eorum qui tum eleemosinas, tũ etiã annuas pensiones redituſque & fructus recipiebant atq; administrabant. Alterum eorum qui ægrotos & infirmos curabant. Id quod in hac tenuitate nostra nondum facile distinguere possumus. Vt tamen eo perueniri possit, secernantur ex iis qui delecti fuerint ii qui magis idonei videntur ad pecuniam administrãdam distribuẽdamq3, ac reddendas rationes: alii vero qui ad exhortandum & consolandum apti sunt atque etiam ad opem & alleuationem ægrotis ferendã huic muneri destinentur. Quod si nunc hæc omnia diuidi nou possint, singuli in ea vrbis regione quæ ipsis assignata fuerit vtroque munere fungantur.

2 Quia vero amplissima est ista vrbs & latè patet, augendus erit diaconorum numerus vt totidem statuantur quot seniores, atque singulis senioribus singuli diaconi adiungantur, vt mutuas operas inter se tradere ac se inuicẽ iuuare atq; etiã obseruare possint. In iis eligendis eadem forma nunc & in posterũ seruetur quæ in senioribus.

3 Vt autem facilius suo defungantur munere, operæpretium est pecunias omnes quæ in pauperum gratiam vel vna ab omnibus vel a singulis seorsim collectæ fuerint vna eademque crumena includi, quæ alterius vicibus seruetur a duobus diaconis quos ex eorum numero seniores & ministri elegerint. Nullus ergo collectam seorsim habeat pecuniã, sed quidquid collegerint singuli conferant in commune.

4 Item duo per vices vti solitum est præsto sint ad ianuam templi dum egreditur populus è concionè, vt quotidianas eleemosinas recipiant.

5 Vbi receperint statim numerent ei cui crumena commissa erit, vt non solum fraus, sed etiam fraudis suspitio vitetur. Quidquid numeratũ erit in scriptis redigatur, dieſque & mensis notetur coram iis qui pecunias receperunt & numerarunt, vt fideliter earum ratio reddi possit.

6 Conueniant diaconi certa die vniuscuiusque hebdomadæ, vt conferant inter se de pauperum inopia aliisque ecclesiæ necessitatibus quibus pecunia subsidio opus est, vt iis communi omnium cõsilio remedia & auxilia quærantur, nec quicquam seorsim vnius arbitrio fiat.

7 Quia libere ac vere ipsos inter se loqui & communicare necesse erit quidquid ab iis dictum fuerit, silentio tegatur, neque aliis communicare fas sit quàm ministris & seniorib⁹. Sic enim vitabuntur murmura & rixæ, liberiusq3 & alacrius munere suo defungent.

8 Si qua in re ambigant diaconi seniorem accersant qui ei regioni vrbis præfectus est vnde quæstio oritur. Quod si is non sufficiat, plures accersantur, aut si difficilior erit quæstio, ad totum cõsistorium referatur.

9 Si de re noua aut insolita quæstio fit, nihil absque authoritate consistorii ab iis agendum aut suscipiendum erit.

Vt

10 Vt liber accepti, ita expensi describatur.

11 Singulis mensibus reddatur ab iis ratio omnium quæ accepta & expensa fuerint corã senioribus & aliis quibus hoc negotium commissum erit.

12 Quum vero eleemosinæ absentibus diaconis in templo fieri possint, arculam in aditu templi aut prope eius limen statui oportebit, quæ duabus seris claudatur, quarum vnius clauis sit penes ministrum, alterius vero penes diaconos, eaque solũ aperiatur eo die quo rationes reddi debent, ac si quid inuentum in ea fuerit pecuniæ in easdem rationes referatur.

13 Quod attinet ad pecunias quibus alendi sunt ministri, quia diaconorũ munus est non solum eleemosinas recipere sed etiam colligere, administrare, distribuere quamlibet pecuniam ecclesiæ vsui aptam aut necessariam, singuli diaconi descripta habeant nomina eorum qui in sua decuria conferre aliquid poterunt ac debebunt vt quum eam pecuniam collegerint ad illũ deferant: qui vniuersam accipere ac ministro stipendium persoluere debet.

¶ Promissio qua se diaconi ecclesiæ astringunt in fine adijcietur.

DE BAPTISMO.

BAptismus hora concionis solummodo atque a pastoribus solum administretur.

2 Puerorum infantium qui baptizati fuerint nomina describantur in libro qui peculiariter ei rei destinatus sit, additis nominibus parentum, & eorũ qui ipsorum nomine in Baptismo fideiusserint.

3 Si quis spurius aut nothus oblatus fuerit, obseruet pastor qui sint parentes, qui item fideiubeant eius nomi-

mine, nec priusquam id ei notum aut fideiussoris testimonio relatum sit, ipsum admittat: idque etiam episcopo vel iis ad quos ea res pertinet significetur.

4 Nequis ad fideiubendum pro puello in sacro baptismo admittatur, nisi ii qui eandem profitentur nobiscum fidem, quum nulli videlicet alii ad talia promissa danda & facienda idonei sint.

Quod vt diligentius ac fidelius obseruari possit, accedat pater baptizandi puelli paulo antea ad pastorem, id est, aut pridie, aut saltem duabus horis ante concionem vt intelligat quisnam ipse sit, quosnam fideiussores aut compatres, vt vocant, adhibere velit.

DE COENA DOMINI.

QVum cœna a Christo instituta fuerit, vt frequēs ipsius vsus esset, quemadmodum in veteri ecclesia obseruatum est, donec sathan omnia peruertit atque sacramenti loco sacrificium aut potius sacrilegium missæ substituit, danda est opera vt puro ipsius vsu restituto, frequentius quoque inter fideles celebretur: singulis ergo mensibus vel ad minimum alterius eam celebrari oportebit.

1 Eius porro celebrandæ initium faciemus, quum a consistorio tempus præfixum erit, optimunque ex statu ecclesiæ iudicatum, ac paratus erit aliquis piorum numerus qui ad eam percipiendam idonei censebuntur.

2 Ministri panem & vinum ordine & ea qua decet reuerentia distribuant, néc quisquam cum ipsis ad calicē porrigendum admittatur, nisi è cœtu seniorum, aut diaconorū: eamque ob caúsam ne maior calicum numerus adhibeatur.

3 Mensæ vero in quibus administranda erit cœna proxime sint cathedræ, quo aptius & commodius sacramēti ministerium explicari & demonstrari queat.

4 Ne alibi quam in templo administretur, quoad

meliore

meliore oportunitate oblata aliter decretum sit.

5 Quum celebranda erit cœna, prius octauo ad minus die populo denuncietur, ne quis aut puer aut alius minus instructus ad eam accedat.

6 Admoneantur exteri & hospites vt prius sese offerant ministro, vt ab ipso si ita res postulet instituantur, nequis ad cænã in iudiciũ & pernitiẽ suã accedat.

7 Quin etiam ad cænam admittatur nemo, nisi qui bene cognitus aut testimonio probatus sit, atque etiã redderit rationem fidei suæ.

8 Vt hoc commodius fiat, quisque seniorum curam gerat eorum qui ipsi commissi fuerint in decuria sua aut etiam viciniore, prout commodius earum partitio fieri poterit: vt diligenter obseruet omnes, at si quid desideret quod emendare non possit, pastorem admoueat, imprimisque obseruet hospites qui non multo tempore hic versati erunt.

De ordine erga pueros obseruando priusquam ad cœnam admittantur.

QVotquot isti ecclesiæ nomen dederunt liberos suos si quos habeant, mittant ad Catechismum: at illic vna cum aliis de fide doceantur.

10 Interrogentur vero pueri ex ea catechismi formula quæ in hac ecclesia recepta est, atque iterum eorum quæ responderint ratio ab ipsis petatur, vt ita periculũ fiat an probe teneant id q̃ antea responderũt.

11 Postquam sic instructus fuerit puer vt Catechismo facile carere possit, eius summam palã recitet atq; ita corã ecclesia religionis suæ professionẽ edat.

12 Nullus puerorum ad cænam admittatur priusq̃ suam fidem publice sit professus, ac significetur parentib⁹ ne ante tempus prepropere ad cænam ipsos adducant, est enim periculosissimum tum liberis tum parentibus ipsos minus instructos ac fidei ignaros ad cænam temere protrudere. Vt ergo fides iplorum cognosci & probari possit, hic ordo tenendus est.

13 Qui hunc ordinem sequi noluerit ad consistoriũ vocetur. Quod si pastoris & seniorum consilio parere nolit, deferatur ad episcopum, qui grauius in eum animaduertet.

14 Vt dignoscantur ii qui his in rebus officio fungi volent, quisq; seniorum diligenter gregem suum obseruet.

DE MATRIMONIO.

NE clam aut furtim vllæ coniugii sponsiones fiant, vllumue matrimoniũ legitimum censeatur quod parentum, aut propinquorum qui vocandi erunt consensu approbatum non sit.

2 Qui aliter fecerint, ac presertim ij qui liberos substraxerunt ab obsequio parentum suorum aut propinquorum aut vllo modo subornarint coerceantur seuerè, atque etiam castigentur sicuti res postulabit.

3 Vt obuiam eatur huic periculo, qui sponsionem aliquam matrimonii facere volent, consilium petant a seniore aut diacono qui eorum decuriæ præest, vt si res difficilior fuerit aut deliberationem requirat, eam cum pastore communicet.

4 Priusquam celebretur coniugium palam in ecclesia trinis diebus dominicis denuntietur.

5 Qui vero has denuntiationes fieri volent, prius ad pastorem vel ad consistorium accedant, atq; si minus noti sunt probos viros secum adducant qui ipsis testimonium reddant: ac si res ita postulet subscribant denunciationib⁹, vt hac ratione, periculis multis, quæ inter ignotos accidere solent occurratur.

6 Celebretur autem matrimoninm quoties ii quorum interest postulabunt, tum dominicis tum profestis diebus modo in concione, excepto die quo sacrosancta cœna administratur.

Quop

7 Quod si denunciationibus factis, ii qui desponsi sunt diutius coniugii sui celebrationē differrent, post sesquimensem admonendi erunt, ne rem frustra aut periculose diu protrahant.

¶ *De visitandis ægrotis.*

QVum aliquis in morbum inciderit, tunc ei vel maximè ad Deum confugiendum esse omnib⁹ in confesso est. Pauci tamen nisi ad extrema redacti, verā ex eius verbo consolationem petunt, ac potius de sanitate corporis quam de salute animæ sollicíti sunt. Ita crebro accidit, vt prius eripiant̄ é vita, quā de Deo & animæ salute cogitare cœperint, ac priuantur salutari doctrina eo tēpore quo vel maxime opus habent. Admonendi igitur erunt omnes, vt in ipsis morbi initiis & animæ & corpori præcipuum remedium quærant ex verbo Dei, ac significent in tempore valetudinem suam diacono illius decuriæ, in qua habitant, vt eos in tempore consolari possit. Parum enim prosunt exhortationes iis qui ad extrema redacti sunt: Diaconus vero, si ita res postulet, admoneat pastorē, vt ipse quoque ægrotum visat. Admoneat autem oportune, ne pastor a præcipuo munere, quod cō⁊ uniter ad omnes pertinet, distrahatur.

¶ *De sepultura.*

MOrtuorum corpora sepeliantur honeste & humaniter ac condantur terra in cœmiterio cuiusq3 parrochiæ, vti communi vsu receptū est.

2 Quod attinet ad eos, qui funus prosequi & comitari debent, id propinquorum & amicorum arbitrio relinquimus, modo ne vlla superstitio aut inanis pōpa toleretur.

3 Admoneantur omnes ne præproperè mortuorum corpora inhument: vt vitentur pericula in quæ persæpe multi nimia festinatione inciderunt. Rursum ne tar-

dius expectent, tum vt corruptio & contagio quæ ex cadauere manare potest, tum etiam, vt immodici luctꝰ vitentur. Expediet igitur funus non citius quam duodecim aut quindecim horis ab obitu, nec tardius quã post viginti quatuor efferri.

4 Porro nomina eorum quos è nostro cœtu collegerit Dominus tenere atq; obitum notare operæpretium est. Ea ergo in libello describi oportebit, qui vni è diaconis committetur, ad quem reliqui diaconi singuli è decuria sua, conferent eorum nomina, qui vnoquoque mense obierint, ac diem obitus notabunt.

Formulæ promissionum quibus ministri sese ecclesiæ abstringunt.

PRomitto Deo & ecclesiæ ipsius me fideliter officio functurum in hoc ministerio ad qnod sum vocatꝰ, purè annunciaturum verbum Domini, vt ædificetur hæc ecclcesia, cui me obligauit, neque abusurum eius doctrina, vt prauo affectu cupiditatiue vlli indulgeã, aut placeam vlli homini, sed eam me pura conscientia tractaturum, vt gloriæ Dei & populi, cui debitor sũ, vtilitati seruiam.

2 Item promitto me obseruaturum ecclesiasticas cõstitutiones & disciplinam quæ hic inter nos recepta est. Et quatenus iis iubeor admonere eos qui lapsi fuerint, me fideliter facturum: ita vt neque odio, neq, fauori, neq; vltioni aut prauo affectui cupiditatiue carnis locum præbeã: deniq; promitto me omnia facturũ quæ ad munus boni & fidelis ministri pertinent.

3 Tertio promitto me conseruaturum quantũ in me erit & procuraturum honorem & vtilitatem huius regni, pacique & tranquillitati eius consulturum, nec vllomodo consensurum iis quibus perturbari, vlloue incõmodo affici posset: sed reuelaturũ & patefacturũ

in

in tẽpore episcopo vel aliis quorum ea scire interierit. Denique promitto me gratitudinis omnis exemplũ populo daturũ, vt beneficium agnoscat quo afficimur in hoc regno, vbi humaniter excepti plena inuocandi & purè colendi Dei libertate donati sumus: perstiturum in vocatione mea tam aduersis rebus quam prosperis, siue bellum, siue fames, siue pestis, aut alia calamitas ingruat: obtemperaturum magistratibus pro ratione officii mei, hoc est, salua libertate, quæ nobis verbo dei data, & regia benignitate concessa est.

¶ *Formula promissionis seniorum.*

PRomitto Deo & ecclesiæ, cui me dedico, me fideliter functurum munere senioris ad quod sum vocatus: adiuturum pastores pro viribus meis, & obseruaturum omnes qui mihi cõmissi & assignati fuerint: curaturumque tam exemplo vitæ quam admonitionib⁹ fraternis, vt quisque obsequatur verbo Dei, adsit concionibus, Deoque & proximo seruiat: impediturũ scandala quantum in me erit, pacique & cõcordiæ ecclesiæ consulturũ, tum publicè tum priuatim denique omnia facturum quæ ad gloriam Dei & ædificationem ecclesiæ pertinent.

Alii duo articuli ex superiore ministrorum promissione hic addantur.

¶ *Forma promissionis diaconorum.*

PRomitto Deo & ecclesiæ me fideliter functurum officio diaconi ad quod sum vocatus: pauperum & infirmorum curam habiturum, atque iis opem laturũ, prout muneris mei ratio postulat, tum mea cõmendatione tum administratione eorum q̃ mihi cõmissa fuerint: deniq; fidelem futurum in rationib⁹ accepti & expẽsi, & rationẽ redditurũ quoties opus erit.

2 Item promitto me obseruaturum ecclesiasticas constitutiones & disciplinam quæ in hac ecclesia recepta est: & quidquid ad huius muneris administra-

tionem pertinet me fideliter relaturum ſociis & collegis meis, nec quidquam pro libidine mea aut fauore aut odio geſturum, ſed opẽ laturum & omnia diſtributurum ſine vlla perſonarum acceptione, vbicũque poſtulabit neceſſitas, denique omnia ſerui Dei fidelis & boni munia obiturum.

Tertius articulus huius promiſſionis addatur ex vltima promiſſione miniſtrorum.

ATque hec quidem hactenus. Sunt enim precipua que ad conſtituendam & formandam hanc eccleſiolam pertinere magisque neceſſaria eſſe, atque adeo ſufficere putauimus. Si quid poſtea addi oporteat, vſus ipſe docebit, vel potius idẽ ſpiritus qui nobis aperuit viam, omnia reuelabit. 21. Iulii. 1560.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

IN indicis vltima li. leg. adſtringũtur. pag. 2. l. 9. leg. διδάκτικοι pag. 6. l. 8. leg. diligenter. pag. 7. li. 3. leg. indicto. eadem pag. li. 9. ſolemnes. eadem pag. li. 23. leg. catalogum. li. 25. modo ne. pag. 8. li. 16. ipſum. pag. 9. li. 4. probæ. pag. 11. li. 18. emendent. pa. 12. li. 6 abiurarint. pag. 13. li. 14. fuerunt. pag. 17. li. 7. perniciem.